PA
3275
M8

Chap. 39

LIBRARY OF CONGRESS.

[SMITHSONIAN DEPOSIT.]

Chap. PA2275

Shelf .M8

UNITED STATES OF AMERICA.

DE
PRAEPOSITIONIBUS LATINIS.

PARTICULA PRIMA: DE ADVERBIIS CASUALIBUS.

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM

AMPLISSIMO PHILOSOPHORUM ORDINI

IN

ALMA LITERARUM UNIVERSITATE ROSTOCHIENSI

OBTULIT

DR. PHIL. F. C. U. MÜLLER.

74232

ROSTOCHIAE

A. MDCCCLXXI.

PA2275
.M8

Quum ea quae grammaticorum libri de praepositionis notione exhibent, contulerimus et comparaverimus ita fere definire possumus: praepositio est pars indeclinabilis vel invariabilis orationis quae praeposita alii orationis parti inter hanc et alteram partem relationem quandam habet. (Ruddimani institut. gram lat., ed. Stallbaum, Lps. 1838. I. pag. 315.) Quamquam, ut ait Thomsius, — de signific. praepos in verb. compos. lat. Gryph. 1838. — praepositiones inde nomen duxerunt, quodante vocabulum ponuntur inter quod et alterum rationem quandam indicant, nomen ipsum praepositionis non multum valet. Itaque nos rectius multoque arctius quam Latini et Graeci (πρόθεσις) eas voces „Verhältnisswörter" nominamus. Serviunt praepositiones vocabulis componendis cujusvis generis, nominibus, adverbiis, conjunctionibus, verbis, interdum ipsis praepositionibus. Casibus praeponuntur accusativo, ablativo et nonnullae quoque impropriae genetivo. —

Mirum in modum Charisius definit (II, XV): „praepositio est pars orationis quae praeposita alii parti orationis significationem immutat aut simplicem servat." Utuntur grammatici immutandi notione, etiam augendi et minuendi, quum de vocabulis cum praepositionibus compositis disserant, et exempla edunt: prae-fero, re-fero, per-fero, per-

fruor, prae-valeo, dis-pliceo, alia. Quod attinet ad verba: „praepositio significationem simplicem servat," ea ad praepositiones casibus praepositas spectant. Non minus breviter Priscianus (XIV, I) dicit: „praeponitur praepositio aliis partibus orationis vel appositione vel compositione, quae definitio addita verbis quae ab initio de notione praepositionis fecimus, satis probanda est. Eam tenebimus et ad ejus normam quae de praepositionibus latinis disputabimus, referemus atque redigemus. Haec Prisciani definitio offendit Vossium (de arte grammatica, de analogia lib. IV, XXII) quod, ut ait, ea non cuivis convenit praepositioni. Nec immerito. Non enim omnes quae vocantur, re vera praepositiones sunt propriae, ad quas, ut videbimus, solas haec definitio est referenda.

De natura praepositionum grammatici in haud parva versantur dissensione nec omnino veteres certa de ea ferunt judicia. Quapropter non recte distribuunt praepositiones in classes neque has certis circumscribunt finibus. Confundunt enim adverbia et praepositiones, quas non sejungunt ab iis vocabulis, quorum usus adverbialis longe praevalet. Quod non facile factu esse, jam Asper Junior (XI) cognovit, qui dicit: certus numerus (scil. praepositionum) propter difficultatem discriminandorum ab adverbiis et conjunctionibus significatuum non potest comprehendi. (Schoemann, die Lehre von den Redetheilen, nach den Alten dargestellt und beurtheilt. Berlin 1862. p. 141. 138.) Adverbialis natura in omnibus praepositionibus ab initio inest, neque vero in omnibus aeque manifesta, sed caligine quadam obruta. Quare Schoemannus

in libro de partibus orationis non singulare de iis conscripsit caput, sed in adverbiorum numerum eas redegit et ita incepit de iis orationem: Zu den Ortsadverbien gehören auch die sogenannten Praepositionen. Quibus verbis adverbialem naturam jam accuratius definitam invenimus: Praepositiones sunt adverbia localia. Quod si tenemus — dequare in alia parte agetur — probanda est Scaligeri definitio: praepositionem esse vocem significantem rei motum vel quietem.

Adverbialem quendam usum nonnullarum praepositionum, etsi non primitivum jam Diomedes (I) agnoscit, quum dicat: „si quando non subsequuntur casus, mutato accentu in adverbia accedunt, et enumerat hic: infra, supra, extra, intra, ultra, citra, circa, juxta, contra, subtus, coram, ante, post, prope, usque, super“ et hoc addit: „quamdiu sine casibus enuntiantur, adverbialiter eunt; receptis casibus praepositiones sunt.“ Quam per se non prorsus falsam nec tamen claram Diomedis opinionem non solum veteres, sed etiam plurimi recentioris aetatis grammatici sequuntur neque persuasum habent, adverbialem naturam primitivam in omnibus praepositionibus inesse et mera adverbia secernenda esse ab iis, quorum usus sensim praepositionalis solus factus est. Libenter grammatici de mutatione accentus praepositionum verba faciunt quae nullius sunt momenti. Statuunt enim regulas ad distinguendas diversas notiones eorundem vocabulorum, ut Priscianus distinguit praepositiones cum accentu in ultima syllaba e. c. anté, poné ab adverbiis ánte, póne cum accentu in penultima, circúm praepitionem ab accusativo círcum, (quántum a quantúm relativ.) Simile est quod grammatici statuunt: alíquando „irgend einmal“, ali-

quanto „um so mehr.“ — *περὶ τούτων* et *τοί των πέρι.* cfr. ergó, érgo, itáque, ítaque alia.

Multas praepositiones adverbiorum modo esse conformatas, vel per se apparet et multas, ut procul, usque, simul, prope, quippe quibus vim casum regendi maxima ex parte modo praepositiones accedentes: a, ab, ad, cum, ex suppeditent, multo majore jure nemo adverbia nominare dubitabit. Quas si quis sine dubio praepositiones vocare voluerit, alia etiam vocabula, ut una, praepositionibus addere debebat, si Latinis placuisset hoc vocabulum una sine cum nonnusquam cum ablativo usurpare. Alias, ut secus, intus, subtus, palam fere non nisi adverbialiter adhibitas cognovimus et pauca modo maximeque dubia et obscura exempla nobis occurrunt, quae eorum usum praepositionalem indicent.

Adjunjimus hoc loco prospectum praepositionum in adverbiorum modum formatarum:

I. casibus.

a) ablativo in *a*: citra, circa, contra, extra, intra infra, juxta, supra (ex supera-super,) ultra, exga.

in *e*: prope, ante, (post, proprie poste) re, se, ve.

b) accusativo: circum, clanculum, versum et composita, simul (simile). (procul*) (tenus.*) } (coram*) (palam*)

c) casu septimo: clam, juxtim (cum.*)

d) nominativo: secus, (versus.*)

II. suffixis.

a) – ne: sine (sed-ne,) pone (*post-ne.)

b) — ter: propter (prope-ter,) subter, circiter (circe-ter,) inter, praeter.

c) — que: usque (uls-que,) absque.

d) — tus: subtus, intus.

e) — do: endo (indu.)

In aliis praepositionalis, in aliis adverbialis praevalet usus, in omnibus autem praepositionibus ab initio aeque inest adverbialis natura.

Quae quum ita sint, singula vocabula quae praepositionibus adnumerari solent eorumque usum et naturam perscrutemur necesse est, ut, praesertim quum definitionem praepositionis quam supra fecimus, teneamus, recte constituamus praepositionum ordines. Itaque distinguemus:

I. mera adverbia quae casibus adjuncta praepositionalem habent usum: adverbia casualia citra, infra, intra, juxta, juxtim,* prope, procul, usque, simul, secus,* secundum, ergo, pone, coram, clam, clanculum,* palam, propter, circiter, intus,* subtus* (versus.*) —

II. Adverbia quae praepositionaliter et in compositione et in appositione inveniuntur: Extra, supra, super, contra, subter, inter, circum, circa, ante, post.

III. Vocabula quae non nisi cum casibus conjunguntur, a compositone autem abhorrent neque per se adverbialiter adhibita nobis occurrunt: apud, absque, erga, penes, sine, tenus.

IV. Praepositiones loquelares, quae vocantur, quae, quamquam nunc non nisi in compositione leguntur, in prisca tamen lingua merae praepositiones videntur fuisse: am, di, por, re, se, ve.

V. Praepositiones cum ipsis praepositionibus compositas: ab-usque,* ad-usque,* in-usque,* ad-versus, ad-versum, ex-ad versus, ex-adversum, in-versus,* in-versum,* ex-ante,* in-ante,* po-stante,* ab-ante,* circum-circa,* in-circum,* in-coram,* praeter-propter,* de-sub,* de-super, in-super.*

VI. Meras praepositiones, quae casibus praeponuntur et vocabulis componendis serviunt: inter quas nonnullae nonnusquam per se adverbialiter usurpatae reperiuntur: a, ab, abs,* ad, cum, de, in, sub, pro, prae, ob, e, ex, cis, trans. His adjunguntur praepositiones obsoletae:[1]) uls,* af,* endo.* (indo, indu.)

Alium ordinem posuit Reisigius (Vorlesungen über lat. Sprachwissenschaft ed. Fr. Haase, Lpz. 1839 § 137.) qui distinguit praepositiones proprias et improprias. Propriae sunt, ut ait, monosyllabae, impropriae sunt adverbia quae distribuit secundum syllabas ultimas in quique classes: 1) in *a*, 2) in *er*, quibus addit *per*, 3) in *e*, quae bisyllabae sunt praepositiones, 4) in *am*, 5) in *um*. Sextum ordinem faciunt penes et apud, quae non adver-

---

[1]) In lingua Graeca jam veteres grammatici recte distinxe_nunt adverbia casualia, et meras praepositiones, quae duodeviginti sunt. Nemo praepositionibus addit voces has, quae cum genetivo conjunguntur: ἐντός, ἔνδον, ἐκιός, εἴσω, ἔξω, χωρίς, ἐγγύς, πλησίον, πρόσθεν, λάθρᾳ, δίχα, κρύφα, alia, quae omnia enumerare longum est. Huc spectant G. Hermanni verba (de emend. rat. Gr. gr. II, 13): Etiam adverbia, si quando casum regant veluti πρόσθεν, ὄπισθεν, χωρίς praepositionum loco, non adverbiorum habenda sunt; praepositiones autem, ubi sine casu sunt, veluti ἐν, σύν, πρός, intus et simul et praeterea significantes adverbia, non praepositiones censere oportet. Neque enim adverbiorum praepositionumque vis ac potestas forma verbi, sed usu et significatione continetur, ut idem verbum nunc adverbium existimari, nunc praepositio debeat.

bialiter adhibentur. Sequuntur denique procul, ergo, prae. Qui praepositionum ordo, quamquam omnino non male institutus multa prae se fert, non tamen prorsus probandus mihi videtur esse. Quum praepositiones singulas secundum hunc ordinem cognoverimus, et ex usu et, quantum fieri potest, ex natura et origine viderimus quanta sit in iis adverbialis vis, tum in universum facilius de praepositionibus disputari clariusque perspici poterit, quod petimus: praepositionum et adverbiorum ab initio candem esse rationem.

De adverbiis casualibus.

Ac primum videamus eas praepositiones quae mera adverbia sunt, quaeque quia casibus praeponuntur, adverbia casualia nominari possunt. Et exempla quidem quae illustrent adverbialem usum, edemus et de origine naturaque earum disseremus.

Complectamur ea adverbia quae secundum eandem legem sunt conformatae: (cfr. Neue, lat. Formenlehre, II. pag. 493. Bücheler, lat. Deklin. pag. 48.) Citra, infra, intra, ultra, juxta, quae item ut, contra, extra, supra ablativi singularis feminini generis formae sunt in ā (proprie in ād.) Hae formae non raro ut adverbia adhibentur, ut alia edamus exempla: unā, rectā, directā, dextrā, sinistrā, scil. via, parte. Derivanda sunt adverbia illa a nominibus adjectivis quae in se habent radices praepositiones proprias, in er vel erus: ci-ter ci-terus, cis-terus, infer, in-ferus, in-ter, in-terus, ul-ter, ul-terus, uls-terus.[1]) Jux-

[1]) cfr. adjectiva illa in comparativo et superlativo citerus, citerior, citimus, inferus, inferior, infimus, interus, interior, intimus ulterus, ulterior, ultimus.

ta etiam ablativi forma videtur esse, quamquam nomen unde derivandum sit, non reperitur. (cfr. adverbium praesto ab adjectivo praestus quod semel legitur in inscriptione aliqua.) Nomen juxtus vel juxtum olim in lingua fuisse, sequitur ex forma juxtim quae casus septimi forma est. — Huc spectat Priscianum illud (XIV, 2, II pag. 980): „quaedam etiam syncopam passa sunt, ut supra pro supera, infra pro infera et extra pro extera. Nam antiqui trisyllabe ea preferebant, ut Cicero in Arato: Torvus draco serpit subter superaque retorquens sese. (cfr. id. XIV, 6, 52 pag. 1001.) Et super et supra a supera, illud per apocopam, hoc per syncopam facta sunt. Sic enim antiqui frequenter postularunt, et maxime Cicero in poematibus, ut in Arato (sequitur hic locus supra allatus). Idem in eodem: Huic supera duplices humeros adfixa videtur stella micans tali specie talique nitore.“ (cfr. Neue II. pag. 4. §. 7. Lucretius I, 429. III, 385. IV, 672. V, 85. 326. 1407. VI, 262. 505. 537. Propertius IV, 18. 19. Cic. nat. Deor. II, 42. 106.)

Citra, infra, intra, ultra, quibus praepositiones verae: cis, in, uls fundamento sunt, et juxta, si casibus praeponuntur, requirunt accusativum. Adverbialem eorum usum illustrent quae sequuntur exempla:

Citra: Tacit. histor. III, 23: tela hostium citra cadebant, id est: citera parte. Plin. hist. nat. III, 5, 12: citra est Oglasa, i. c: in citera parte Oglasa est sita. (cfr. id. VI, 11, 12.) Cic. topic. IX, 39: non erit necesse id usque a capite arcessere; saepe etiam citra licet, dummodo supra sit quod sumitur. Liv. X, 25: paucis citra milibus lignatores ei cum praesidio occurrunt. Ex hac locali significatione oritur temporalis illa maxime in conjunctione cum

quam: citraquam = priusquam. Exsistit etiam adverbium citro in dictione: ultro citroque vel ultro et citro, ultro ac citro, ultro citro. cfr. ultra citraque, ultra citrave.

Infra. Cic. Somn. Scip. IV: infra autem nihil est nisi mortale et caducum, supra tamen lunam sunt aeterna omnia. Tibull. I, 11, 15: non seges est infra, non vinea culta, sed audax Cerberus et Stygiae navita turpis aquae. Cic. Fam. VI, 8: infra scribere, i. e: in inferiore epistulae parte. Plin. ep. VIII, 8: in superiore parte navibus tantum, infra etiam natare concessum. Gravissimum exemplum invenitur Cic. acad. II, 40, 125: innumerabiles supra, infra, dextra, sinistra, ante, post — mundos esse. Quamquam intra ut inter non tam pervulgatum habet usum adverbialem, tamen in prisca lingua haec vocabula non rarius quam alia adverbia esse usurpata puto. Oppressus mihi videtur eorum usus aliis adverbiis eadem significatione, ut intus, introrsus. Sed scriptores posteriorum aetatum restituerunt, ut ita dicam, haec adverbia, quapropter Handius in Tursellino (Lps. 1829) dicit: „adverbii significatio intra non differt a praepositione: sed utuntur eo tantum scriptores post Augusti tempora. Est idem quod intus et introrsus. Numquam est pro intro dictum.“ cfr. Plin. hist. nat. XXI, 17, 64: intra seminat velut animalia quae in se pariunt. Quintil. I, 10, 43: quadraginta per oram, intra centum erunt.

Ultra oppositum est citra. Horatcarmin. II, 16, 25: laetus in praesens animus quod ultra est oderit curare. Hor. carmin. II, 18, 32: quid ultra tendis. Cic. Verr. VII, 45: est aliquid ultra quo crudelitas progredi possit. Hor. sat. II, 3, 188: nil ultra quaero plebejus. Ut citra quam ita etiam ultra quam. Liv. III, 8: non ultra quam in Hernicos procedit. — Ultra de tempore dictum diutius est.

Suet. Tiber. XXXIV: Vultra non tulit. Ut citro adverbium a citerus, ita etiam ultro est a ulterus derivatum.

Juxta Handio duce cohaerere puto cum verbo jugo, jungo. „Ab jugo," inquit, „fieri debebat juctum, sed inserebatur littera s, nescio an vocalitatis caussa. Dixerunt enim Latini sexus pro secus." Caes. bell. Gall. II, 26: legio juxta constiterat. Cornel. Nepos, Timoth. II, 3: sic juxta posita recens filii (statua) veterem patris renovavit memoriam. Sall Jugurth LXV, 2: juxta ponere. Virgil. Aen. III, 571: juxta tonat Aetna., id. III, 22; forte fuit juxta tumulus. — Juxta etiam aeque item est: Sallust. Catil. IX: juxta aestimare, = item. Plin. hist. nat. II, LXVII, 67: juxta vero ab ortu ex indico mari sub eodem sedere pars tota vergens in caspium mare pernavigata est Macedonum armis. Apud Plautum persaepe: juxta cum praepositione cum adverbii modo conjunctum legitur. Pers. IV, 3, 75: juxta tecum aeque scio. cfr. id. Mil: II, 2, 79. Pers. II, 2, 67. cfr. conjuctiones juxta ac, atque, si, et, quam = aeque ac, pariter ac.

Juxtim adverbiorum modo in im exortum nonnusquam praepositio est. (cfr. interim et intera, intra, juxtim et juxta.) Similis forma extrim, extra cognosci potest in extrinsecus. (cfr. Neue, II, pag. 50.) Sisenna apud Nonium II, 127: ab urbe condita juxtim Numicium flumen obtruncatur. Apul. Met. II, 31, pag 120: juxtim se ut assideret effecit. Qui praepositionalis usus valde dubius est; major est adverbialis nec vero magnus. cfr. Lucret. IV, 501. 1213. Suet. Tiber. 33.

Jam vero sequuntur adverbia prope, procul, usque, simul, quibus id commune est quod maxime non sola casibus praeponuntur, sed ita, ut praepositio vera quaedam iis portponatur, a qua casus pendet. De etymologia prope,

procul, usque nihil certi afferri potest, quod secundum incognitas regulas e radicibus sunt orta

Prope mihi videtur ab adjectivo quodam, quod nunc quidem non exsistit, propus adverbiorum modo in e esse exortum, quippe quum comparativi et superlativi formae prop-ior, proximus (prop-simus, prossimus,) exstent. Adverbia in *e*. sunt ablativi formae, ed, *e*. Cic. Fam. IX, 7: volebam prope alicubi esse. Cic. de Sen. XIV: adolescentia voluptates prope intuens magis fortasse laetatur: sed delectatur etiam senectus procul eas spectans. Saepe idem significat prope quod fere, paene, quasi, propemodum. „Prope est cum" temporalis est dictio=jam jam tempus est. Ter. Andr. I, 1, 25: prope adest cum. Plaut. Aul. II, 3, 9: prope adest ut. Plaut. Men. V, 6, 25: prope est quando. Liv. II, 65: prope est ut = parum abest. Accedunt ad prope praepositiones *a*, ab, *e*, ex, ad. Cic. Verr. II, 3, 6: tam prope ab domo. V, 2, 6: tam prope e Sicilia. Tacit. histor. I, 10: tam prope ab exsule fuit quam postea a principe. II, 76: a contumelia quam a laude propius fuerit. Prope ad. cfr. Liv. II, 24, 5. III, 40, 10. Plaut. Cas. III, 5, 21. — Prope per se praeponitur quoque accusativo, etiam in formis superlativi et comparativi: proxime, propius. Liv. XXI, 1: adeo varia fortuna belli ancepsque Mars fuit ut propius periculum fuerint qui vicerunt. Liv. XXII, 40: propius Hannibalem. Liv. XXIII, 12: summa fuit orationis, quo propius spem belli perficiendi sit eo magis omni spe juvandum Hannibalem esse. Liv. XLII, 98: castra propius hostem movit rex. Caes. b. g. VII, 20. Cic. pro Mil. XXII, 59: proxime Deos accessit Clodius, propius tum cum ad ipsos penetrarat. Cic. X Philipp. II: Bruttus operam det ut cum suis copiis quam proxime Italiam

sit. Cic. Att. III, 13 Diomedes affert: „proximus Pompejum sedebam," sed nullum simile inveni exemplum: adjectivum proximus cum dativo conjungitur.

Procul oppositum est cominus. Liv. XLIV, 35: missilibus procul regia auxilia melius pugnabant, cominus stabilior et tutior aut parma aut scuto Ligustino Romanus erat. Procul esse=longe abesse: Hor. carm. III, 8, 15: procul omnis esto clamor et ira. Hor. ep. II, 2, 199: pauperies immunda domus procul absit. — Procul nobis imprimis Caesaris et Livii scripta legentibus occurrit, sed maxime cum praepositione *a* postposita. Per se praeponitur ablativo Loci qui procul cum accusativo praebent (Curtius Rufus V, 5. IV, 13. Plin. IX, 53) nulla utuntur auctoritate et jam diu accusativus in iis, quem minus boni exhibent libri, in ablativum est mutatus. Nonnumquam etiam procul *e* legitur, e. c. Hor. ep. I, 11, 10: procul e terra spectare. — Liv. VIII, 8: haud procul radicibus Vesuvii montis. VIII, 19: haud procul castris. Suet. Nero III: procul dubio. Tacit. Ann. IV, 62: procul voluptatibus. Hor. epod. II, 1: procul negotiis. (Cfr. Neue II. pag. 525.) Liv. X, 25: profectus ad oppidum Ahamam, unde (- a quo) haud procul hostes erant. cfr. Liv. VI, 16. VII, 14. VIII, 37: multitudo haud prncul ab rerum omnium inopia erat. — cfr. haud procul quin=nontantum abest ut. Liv. I, 5: Numitor haud procul erat quin Remum agnosceret. cfr. Liv. V, 4. V, 12. IX, 2.

Usque, ex uls-que, ut ait Donatus (II, XVI), praepositio plurimis non videtur, quia sinc aliqua praepositione proferri recte non potest. Re vera exempla quae usque praepositionale exhibent, rara et pauca sunt. Praeponitur autem non solum accusativo sed etiam ablativo. Plin. hist. nat. II, 22,

10: usque Jovem i. e. usque stellam quae Jupiter vocatur. Id. VI, 34, 39: usque Arabiam. Cels. VII, 7, 15: usque mortis diem. Cic. pro Flacc. XIX, 45: usque Tmolo petivit, i. e. uspue ad montem Tmolum. Liv. XLIV, 5. Justin. I, 1. In exemplis quae usque adverbium per se positum praebent, usque non solum localem habet significationem, sed maxime indicat idem quod diu, multum, valde. Hor. carm. II, 9, 4: mare vexant procellae usque. Hor. sat. I, 4, 20: usque laborantes, dum ferrum molliat ignis. Ter. Ad. II, 2, 5: ego vapulando, ille verberando usque ambo defessi sumus. Accedunt ad usque plurimae praepositiones, quae motum, quem indicat usque, arctius determinent. Corn. Nep. Hannib II, 1: usque a rubro mari. Cic. pro Cluent. LXVIII: usque a mari supero. Cic Verr. VII, 60: usque ex ultima Syria atque Aegypto navigare. Id. ep. Att. IV, 1: usque ad Capitolium. Dictiones temporales ut usque ad hoc tempus, in hunc diem, aliae cognitae sunt. — Plin. VIII, 17: usque extra solitudines deductus est Philini pater. Ne plura. Ad omnes sive improprias sive proprias praepositiones usque accedit quo gravius exprimatur, quae in iis inest notio. Usque adverbiale etiam nobis occurrit in conjuctionibus: usque adeo, usque adhuc, usque istinc, usque dum, usque quoad, donec, eo, quo, ut, ne, usquequaque, usque admodum, affatim, antehac, usque et usque, quousque, hucusque, alia multa.

Simul[1]) chaeret cum semel, nisi forte simul et semel utrumque idem est; in utroque inest radix pronominalis *s* (cfr. in sic) demonstrativa. Semel et simul idem

[1]) cfr. Leo Meyer, vergl. Gr. d. griech. Spr. I, pag. 329. Schoemann, Redeth. pag. 146.

fere significant: dasmal, oppositum est ein andres mal, unde: das eine mal, einmal = zugleich, gleich, est dercratum. Eadem atura est atjectivum similis. Legitur simil pro similis apud poetas comicos (cfr Nonius 242, ubi simil est, non similis est, quod Ritschlius voluit) in modum adjectivorum acer-acris-acre, saluber, salubris, salubre, abjecto is. Simul ex simil est exortum quod neutrum potest esse (cfr. animal, proprie animale, lac, proprie lacte al.) mutata i litera in u, itaque ut multa alia adverbia, neutrius generis forma est. (cfr. Caecilius-Caeculus, Sicilia-Siculus, Facilis-Facultas, Familia-Famulus.) Ex semil, quae prior forma est, factum est simil: Menerva-Minerva, endu, indu. Itaque: semil (= semile, simile,) simil, simul, etiam simol, ut endu, indu, endo.

Cic. Att. V, 10: totos dies simul eramus, de Or. III, 3: ille et cum Republica pariter vixisse et cum ea simul exstinctus esse videtur. cfr. Cic. Rosc. Am. XXXIX. Att. VIII, 15. Tac. Ann. IV, 2, 56: simul L. Sullam testem adferebant. Ut una ita etiam simul cum praepositione cum conjungitur; nonnusquam autem apud Tacitum et poetas sine cum usurpatur, ablativo praepositum. Tac. Ann. III, 64: supplicia dis ludique magni ab senatu decernuntur, quos pontifices et augures et quindecimviri septemviris simul et sodalibus Augustalibus ederent. Tac. Ann. IV, 55: Hypaepeni Trallianique Laodicenis ac Magnetibus simul tramissi ut parum validi. Id. Ann. VI, 9: Scauro Mamerco simul ac Sabino Calvisio. Exempla Tac. Ann. IV, 8. XIII, 34, quae Draegerus (Die Syntax des Tacitus. Putbus 1866 pag. 20) affert, simul non edunt ablativum, ut ita dicam, regens; sed hic alio modo casus explicandus est. Ovid. trist. V, 10, 29: simul nobis habitat. Hor. serm. I. 10,

86: simul his. cfr. conjuctiones: simulac, simul atque Simul-simul, Tac. Ann. XIII, 40.

Minorem minusque certum usum praepositionalem, quam in simul cognovimus in secus quod adverbium a grammaticis antiquis in numerum praepositonum est receptum. Sine dubio cohaeret secus cum verbo sequendi, quae origo clarius elucet e conjunctione ejus cum accusativo. Quae vis accusativum regendi e verbo illo ut in secundum ita in secus translata videtur esse. Charisius I, 17, 49, pag. 61 affert: secus illum sedi = secundum illum. Neque vero bene latine id est dictum; addit enim: „id quod vulgus usurpat et novum et sordidum est.“ Praeterea legitur secus cum accusativo Cat. R. R. XXI, 2: secus laminam. Sempron. Asellio apud Charisium II, XIV, 226: rationes facere hoc secus. In inscriptionibus ap. Orellium 3688: secus viam, ap. Grut. 806, 5: secus conjugem suam. Apud Quintilianum VIII, 2, 20 pro secus viam, quod nonnulli volunt, potius secundum viam legendum est.

Qua ratione secus e radice sit ortum, hac de re inter etymologiae auctores magna est dissensio quae vix tolli potest. Fortasse secus est ut tenus accusativi forma nominis cujusdam obsoleti. cfr. G. Bornhak, lat. Gr. 1871, pag. 75, cognovit in secus et versus, item ut in cominus, eminus, mordicus nominales formas: „Einige Adverbia auf us erscheinen als hart gewordene Nom. Sing. Masc.“ Significat secus adverbium: aliquid quod sequitur aliquid, itaque aliud quoddam quam id quod praeit, huic quasi contrarium, quapropter aliter. Cic. Brut. 85: nemo dicet secus i. e. nemo aliter dicet quam antea dictum est. Horat. carm. II, 3, 2: rebus in arduis, non secus in bonis =

ut in rebus arduis item in rebus bonis. cfr. Hor. carm. III, 25, 8. Ep. ad Pison. 149. — cfr. secus ac, atque, quam.

Ut permulta adverbia [1]) accusativi generis neutrius formae sunt, ita etiam secundum, quod ad nomen quoddam adjectivum verbale, a verbo sequendi deductum, est referendum sequendus-secundus. Adhibitum est ut primum, tertium, postremum. Sed maxime utuntur Latini pro secundum alia forma adverbiali secundo, fortasse, ut, postquam secundum in haud parvum praepositionalem usum abiit, adverbium et praepositio possit dinstingui. Ceterum non solum accusativus sed etiam ablativus [2]) unius nominis adverbia fecit: postremum-postremo, multum-multo, primum-primo etc. — Plaut. Amph. II, 1, 1: *i* tu secundum (komme nach.) Liv. VII, 33: Cn. Genucio L. Manilio Mamercino secundum consulibus.

Ergo, quod multo saepius adverbii et conjunctionis, conclusioni servientis, loco adhibetur, postpositio est. Ablativus est nominis subsantivi obsoleti: ergum, quod quidem nusquam legitur, conjiciendum autem est secundum graecum *ἔργον*: *ἔργῳ* = ergo = re vera. Eadem natura est qua caussa et gratia, et utrumque genetivo postponitur. Liv. XXV, 7: virtutis ergo. Mirum quod, quum grammatici ergo aliasque raras formas praepositio-

---

[1]) cfr. Bopp, Vergl. Gramm. III, § 989: Namentlich vertritt die dem Nom., Acc., sing. neutr: gemeinschaftliche Form der Adjective auch die Stelle des Adverbiums, welches ich jedoch als Acc. fasse, da jeder oblique Casus eher als der Nom. zur Bezeichnung eines adverbialen Verhältnisses geeignet ist. (Commodum, plerumque, potissimum, primum, multum, secundum, alia.)

[2]) cfr. Gellius X, I. 7: quaeri coeptum est, utrum consul tertio inscribendum esset an tertium. — Eam rem Pompejus exquisitissime rettulit ad doctissimos civitatis cumque dissentiretur et pars tertio, alii tertium scribendum contenderent — etc. —

nibus adnumeraverint, non gratia et caussa aliisque formis numerum earum compleverint, fortasse quod hae formae non sunt nominum defectivorum, dum illarum natura et origo iis erat obscura et incognita Ergo, praeterquam quod conjunctionis amplissimo fungitur munere, adverbium est affirmativum = sane, certe (cfr. Reisig, §. 131.) Prsepositionalis ejus usus non magnus erat, fortasse vero major quam, quod sequitur, adverbii pone, quod jam Quintilianus obsoletum esse judicat. Pone compositum est ex post et ne suffixo: post-ne, pos-ne, pone, ut sine ex sed-ne, se-ne, sine (super-ne, infer-ne). cfr. po-meridianus ex post meridianus, (Cic. Or. 157), po-moerium, post-moerium, pono ex post-sino, po-sino, unde pono. — Virg. Aen. X, 226: pone sequens puppim tenet. Cic. Tim. XIII: certum animal movebatur ante et pone. Pone versus in nostro est = hinterwärts. Charis. II, 191: M. Cato dierum dictorum de consulatu suo: nostros pone versus hostes esse ab dextera parte; idem: pone versum illac mare est. Pone accusativo praepositum cfr. Plaut. Curcul. IV, 2, 1; pone me. Tac. hist. III, 85: pone tergum.

Jam vero disserendum est de tribus adverbiis casualibus in am: [1]) coram, clam et palam, de quorum origine multae et tam exstant diversae opiniones, quas diligenter collegit et inter se comparavit Handius in Tursellino. [2])

Coram cohaerere sunt qui putent cum con (cum) et am (ambi) praepositionibus, quod minus absurdum at-

---

[1]) aliud adverbium in am est nequam οὐδὲν, quod ita ut palam, clam, coram, utrum accusativi an casus septimi forman sit, grammatici non statuunt. (nequam, nequior, nequissimus, nequiter, nequitia cfr. perperam, multifariam, al.)

[2]) cfr. Bornhak, lat. Gr. pag. 73: coram, vor dem Antlitze, aus co und os (?)

que ineptum est, si respicitur, quodgrammatici nonnulli volunt, casus septimus in quom (com, con, cum) et praepositio loquelaris am, quam, quod alii contendunt, coram esse ortum ex con (cum) et eram. Probabilius est quod alii volunt, coram esse compositum ex os-oris et *c* demonstrativo. [1]) Re quidem vera non dilucida hujus adverbii est origo, quapropter Neue id iis adnumerat adverbiis, quae non secundum certam regulam sint deducta ex radicibus primitivis, nec vero plane spernenda mihi eorum videtur esse opinio, qui (cfr. Crusius ad Sueton. pag. 252) coram derivant a cora (κόρη), oculi pupilla. Sed falsum est, coram esse ablativum; potius accusativus est, ut circum adverbium, nisi forte casus septimus. Ut incircum, ita incoram exstat, ut invicem et vicem. Exprimit coram — quod ex forma incoram apparet, quam fuisse olim constat — in lingua nostra: zu jemandes Augen hin i. e. Angesichts, hebraice: לְפָנֵי: in oculorum speculum alicujus rei imago relucet, relucendo sedem occupat in iis et inhaeret. Apul. Met. VII. pag. 197, 21: mulierem ibidem in coram omnium gestiebat inscendere. — Ter. Ad. II, 45: vereor coram in os te laudare. Cic. Att. XII, I: cum coram sumus, i. e cum adsumus ita us nos conspicere possimus. Cic. Flacc. XV: testes coram producti, i. e: in conspectum judicum. Liv. II, 47: Manlius quoque ad restituendam aciem se ipse coram offert, i. e: ita ut conspiciatur a militibus. Cic. Att. II, 9: Sed haec coram commodius, i. e: si conveneri-

---

[1]) Priscian. XIV, pag. 998: coram quoque et palam apud Graecos adverbia sunt, quae — nostri etiam inter praepositiones assumserunt. Sed mihi videtur, quum inter adverbia quoque haec eadem plerique ponant, quippe quod sine casualibus verbis possint adjungi, adverbia ea dicere quae praepositiva possunt esse etiam casualium.

mus. Coram praepositionaliter ad ablativum accedit, quamquam ei genetivus magis respondet. Sed etiam ablativum aptum esse, de qua re postea agetur, si de casibus, quibus praepositiones praeponuntur, disseretur.

Clam.[1]) Festus, calim antiquos dixisse pro clam, ut nis pro nobis, sam pro suam, in pro eum, affert. Clam ex calam, celam adverbium in am, est ex quo calim, est ortum nec vero calim primitiva forma est in modum adverbiorum in im desinentium. Videtur clam cohaerere cum radice verbi celandi, cujus vis in clam reperitur, si accusativo praeponitur. (cfr. secus c. accus.) Ter. Hecyr. III, 3, 36: clam patrem. Plaut. Amph Prolog. 107: clam virum (amare occepit.) Alia exempla ut: clam matrem, uxorem, illum, senem, persaepe leguntur apud poetas comicos. cfr. Plaut. Asin. V, 2, 92. Plaut. Merc. II, 3, 36. Caes. bell. Hisp. III, 2: legati clam praesidia Cn. Pompeji caesarem quum adiisent; hoc vero loco plurimi editores praesidii praesidiis scribunt.— Servius in arte Donati pag. 1798: „clam praepositio quum Donatus inter ablativas posuit, scire debemus, quod indifferenter pro arbitrio dicentis et ablativo jungitur et accusativo: dicimus enim clam patre et clam patrem.“ Conjunctio clam praepositionis cum ablativo maximum habet usum. Caes. bell. Gall. II, 32, 8: clam vobis. Plaut. Truc. II, 1, 37: clam patre. Praeterea vero clam etiam genetivo praeponitur. Plaut. Merc. I, 1, 43: clam patris = λάθρα πατρός Qua ex casuum diversitate nihil aliud concludere possumus, quam: Latinos, quum clam in praepositionalem usum

---

[1]) Priscian. XIV, pag. 988: clam magis adverbium est quum nec localem habeat aliquam significationem quam plerumque praepositiones possident et qualitatem demonstret quae in adverbiis inveniri solet etc.

receperint, non recte scivisse, cuinam casui hoc adverbium tribuendum esset. Verae praepositiones si diversis casibus praeponuntur, diversas exprimunt notiones, nec vero clam, cujus significatio eadem est si ablativo, genetivo et accusativo praeponitur, qui casus mihi aptissimus videtur huic adverbio casuali. Quid significet clam cluceat ex his locis: Plin. XXXVI, 2, 2: clam occulteque facere aliquid. Plaut. Poen. III, 3, 49: hic clam furtimque esse volt ne qui sciant. id. V, 2, 62: ne quid clam furtive accepisse censeas. Tibull. I, 10, 34: tacito clam venit illa pede. Ter. Hec. II, 2, 19: adeo clam te est, dum Plaut. Mil. III, 3, 9: mihi clam est, dicit.

Ex clam est formatum deminutivum illud clanculum, quod maxime in vulgari reperitur sermone indeque est receptum in linguam poetarum comicorum. Plaut. Men. III, 2, 13: nequeo quae loquitur exaudire clanculum. Terentius secundum analogiam clam praepositionis Ad. I, 1, 27: clanculum patres, dicit. Plaut. Asin. V, 2, 32: aucupemus ex insidiis clanculum quam rem gerant.

Jam restat palam, de cujus etymologia Handius in Tursellino diversas diversorum interpretum affert opiniones. Ipsius vero maxime mihi placuit. Putat enim, notionem rei protensae et apertae significari voce pa: pateo, pando, patulus, parere parare; ex patulam-patlam-palam esse ortum, ut scriplum ex scriptulum. Non est cur de hac dubitemus sententia. Palam igitur ut coram accusativus est. Restat ut clam ejusdem casus formam esse demonstretur. Palam ut coram non nisi ablativo praeponitur. Liv. VI, 14: centurio rem creditori palam populo solvit. Cic. Rosc. Am. VIII: multa palam domum suam auferebat, plura clam de medio removebat. Ter. Ad. III, 2, 30: neque id occulte

fert: ab lenone ipsius eripuit palam. Liv. XLIV, 34: nec palam nec secreto jactare consilia. Cic. pro Mil. IX, 55: palam agere coepit et aperte dicere, occidendum Milonem. Cic. or. XII, 38. Plaut. Bacch. II, 3, 68: palam atque aperte Cic. Verr. V, 26, 65: palam ante oculos omnium. id. off. III, 24, 93: luce palam in foro saltare. cfr. propalam.

Propter idem quod prope significat itemque accusativo praeponitur. Ortum est ex prope et suffixo ter (cfr. prae-ter, sub-ter): prope-ter, propiter, propter. Prope si adverbium adjectivi propus est, propiter facile explicatur: adverbium novum ex adverbio prope factum est ut: firmus-firme-firme-ter
firmĭter
humanus, humane, humane-ter
humăniter.

Cic. Rosc. Am. XXIII: duo filii propter cubantes. Ter. Ad. IV, 2, 39: ibi angiportum propter est. Phaedr. II, 7: venit per auras cornix et propter volans. Cato, R. R. 151, 2: serito in loco ubi aqua propter siet. Cic. de Sen. XIV, 48 (cfr. exemplum sub prope) in aliquot codicibus pro prope intuens etiam propter intuens legitur. Propter magnum praepositionalem usum habet in appositione.

Eodem suffixo ter, quo propter, formatum est adverbium circiter a circus (circe) = in circum. Plaut. Cist. IV, 2, 7: ubi easit nescio nisi ut opinor loca haec circiter excidit mihi = loca quae circiter sunt. Cassius Hemina ap. Plin. hist. nat. XIII, 27, 84: lapidem fuisse quadratum circiter in media arca vinctum candelis quaquaversum. Hanc localem primitivam significationem circiter paullatim omisit et maxime usurpatum est ad temporis significatio-

nem ut ad praepositio = fere (ungefähr um die und die Zeit). Varro, R. R. III, 10, 6: sic curati (pulli) circiter duobus mensibus fiunt pingues. Caes. bell. Gall. IV, 23: ipse hora diei circiter quarta cum primis navibus Britanniam attigit. Sallust. Cat. LVI, 3 ex omni copia circiter pars quarta erat militaribus armis instructa. — Praepositionaliter circiter ad accusativum accedit. Cic. Att. II, 4: nos circiter Kalendas aut in Formiano erimus aut in Pompejano.

Sequitur adverbium intus cujus praepositionalis usus, quamquam grammatici veteres praepositionibus adnumeraverunt, maxime est dubius. Exortum est intus modo adverbiorum in-tus (funditus, radicitus). Plaut. Men. I, 3, 34: evocate intus mihi cocum Cylindrum astutum foras. Plaut. Bacch I, 1, 62: ego tibi argentum jubebo jam intus ecferri foras, id. II, 2, 138 intus pateram proferto foras. Intus etiam significat in loco. Cic. de Sen. II, 5: intus insidiae sunt, intus inclusum periculum, intus est hostis. (Quint. I, 5, 10).

Ad intus accedit praepositio in. Cic. fin. III, 5: quae insunt intus in corpore. Dubia autem sunt exempla quae intus accusativo praepositum praebent. Liv. XXVII, 11, 3: intus cellam aedis Fortis Fortunae, ubi codices exhibent lectiones intus in cellam, intus cella et intus in cella, quarum optima est intus in cella. Plaut. Mil. II, 6, 55: vide sitne istaec vostra intus domum, quae lectio in codicibus corrupta est, quapropter editores domum e versu tollunt.

In multis locis intus ablativo postpositum apparet. Nec vero intus hic ablativum regendi vim habet, sed ablativus etiam sine intus recte percipi potest; intus modo adverbialiter ad casus significationem accuratius determi-

nandam est additum. Virg. Aen. VII, 192: tali intus templo divum patriaque Latinus sede sedens. Id. VI, 798: animam labefactant sedibus intus. Liv. XXIV, 10: in aede intus. Id. XXV, 11: quae sinu exiguo intus inclusae essent.

Charisius subtus quoque inter praepositiones numerat et exemplum affert: subtus lectum. Sed nescio ex quo scripto illud sit arcessitum qualique sit auctoritate.

Participio versus, versum, de quo sub adversus, adversum agetur, praepositionis nomen non convenit, sed postpositionis: Plin. histor. nat. V, 8, 8: orientem versus, id. VII, 2, 2: occidentem versus. Id. X, 43, 60: forum versus. cfr. Noltenius, lexic. antibarb.: sin autem accedat praepositio ad, tunc adverbium est: ad occidentem versus. Tac. Germ. I: in occidentem versus. Liv. I, 18: ad meridiem versus. Sallust. Catil. LVI, 4: in Galliam vorsus; id. Jugurth. LXIX, 1: ad se vorsum.

HALIS SAXONUM.

FORMIS PLOETZIANIS.

LIBRARY OF CONGRESS
0 003 039 640 6